





Google



Stanford University Libraries
3 6105 215 838 066


STANFORD UNIVERSITY
LIBRARIES

Quam vere de Ulixis erroribus Eratosthenes indicaverit.

Scripsit

Dr. Maximilianus Hergt.




Programm

der

Kgl. Bayer. Studienanstalt Landshut

für das Schuljahr 1886/87.



Landshut.
Druck der Jos. Thomann'schen Buchdruckerei.
1887.

In narrandis Ulixis erroribus quae loca satis, quae minus bene, quae denique omnino non cognita habuisse Homerum existimandum esset cum investigare diu frustra studuissem, A. Roemerum qua potissimum ratione verum enucleari posse censeret interrogavi. Atque ille quam Eratosthenes munivisset viam nisi in hac difficillima quaestione inissem, me usque titubaturum esse affirmavit. Roemero igitur auctore ad Homeri carmina interpretanda imprimis Eratosthenis acumen atque iudicium adhibui; et cum eo duce Odysseam saepius legerem, multa, quae nequaquam explicari posse antea putaveram, plana mihi ac perspicua sensim fiebant, ut hunc rectissime iudicavisse et quasi in officinam poetae penetravisse pro certo haberem.

Ab huius tamen sententia veterum longe plurimos abhorruisse satis constat. Et hoc quidem minime mirum, quippe cum docere poetae illis temporibus vulgo putarentur [1]). At nos aliter sentientes carmina ad docendum scripta recte appellari carmina negamus. Est philosophorum et

1) C. Lehrs De Aristarchi studiis Homericis, Lips. 1865 p. 246: Porro haec fuit communis florentis Graeciae opinio, poetas docere; iam tum, ut mihi videtur, ultra id quod verum est egressa. Attamen hi de bonis moribus et exemplis virtutis cogitabant. Quae res a parte doctorum Alexandrinorum dupliciter deflexa est, cum primum illam poetarum doctrinam a moribus ad variam eruditionem transferrent; deinde dicebant optimum quemque poetam id agere atque hoc boni poetae consilium esse ut quam plurima doceret.

1*

rerum scriptorum hominum animos instituere, — delectare cum omnium artificum tum poetarum, cum poetarum omnium tum eorum principis Homeri. Poesi enim vita nostra quasi miro et aeterno flore ornatur, qui non ex sicco et lapidoso, ut ita dicam, doctrinae fundo, sed ex variorum quibus mortalium mentes moventur sensuum viridi quadam ac fecunda humo enascitur. Quare antiquorum plurimi permultique recentiores quod male aestimantes poetam eiusque artem magnam Homero assignavere doctrinam vituperandi sunt, ut qui hominis quavis eruditione referti tristem ac senilem vultum quam hilarem blandamque suavissimi poetae faciem intueri malint. Proinde non ex ieiuna ratione, sed inexhausto ingenio aeterna artificum opera oriri teneamus; ex Phidiae profunda mente natus est Panhellenius Juppiter, ex profunda mente Homeri — quidquid hoc nomine complectimur — profluxerunt Ilias et Odyssea. Improbantes igitur multa variaque doctrina poetam onerandi vana Cratetis studia sanum et acre iudicium admirabimur Eratosthenis, qui aequalibus suis maior aureum illud egregiumque pronuntiavit: *ποιητὴς γὰρ πᾶς στοχάζεται ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας*.

Verum priusquam ad ea, quae tractanda mihi proposui, accedo, de Homerica quam dicunt quaestione pauca disserere oportet. Iam cum illa, quae de Iliade ab Wolfio et Lachmanno usque ad Christium docti disputaverunt, ad id quod agimus nihil fere attineant, huius quaestionis non universae sed quatenus spectat ad Odysseam vel potius ad illam carminis partem, qua Ulixis errores continentur, rationem nobis habendam esse apparet. Exquirere igitur conabimur, quid de apologorum qui vocantur intra Odysseae contextum loco ac ratione statuendum sit et quae de eorum vetustate sententiae vero proxime abesse videantur.

Atque ab **Kirchhoffii**[1]) studiis ordiri aequum est. Hic vetustiorem et recentiorem νόστον distinguens libri ι aliquanto ante primam Olympiada compositi principalem formam ad nos pervenisse, contra qui leguntur in libris κ et μ errores principio ut a poeta, non ab Ulixe narratos posterioris cuiusdam opera in eam quae nunc exstat formam redactos esse magno ingenio defendit. Num omnia quae ad hanc sententiam confirmandam attulit, vere dicta sint disceptare non est meum; hoc omittere non possum, ab G. Schmidtio[2]) etiam in libro ι manifesta vestigia detecta esse, quibus idem, quod Kirchhoff de κ et μ posuisset, de illo quoque libro dici posse demonstraretur. Ceterum hanc rem, utcunque se habet, ad ea, quae nos intendimus, recte disserenda non multum valere paulo infra apparebit. Alterum, quod Kirchhoff affirmavit, gravioris ad nostram rem momenti est. Argonauticae enim fabulae cum in κ et μ saepius mentio fiat, hos libros non ante Ol. XXIV conditos esse censet; verum illos locos non in genuina Odysseae forma fuisse sed incerto tempore interpositos esse in ipsis erroribus iudicandis ostendere tentabimus.

Hoc autem loco de duobus viris pauca dicere mihi liceat, qui ab Kirchhoffio profecti tamen ad exitus non modo ab ipso sed etiam inter se admodum discrepantes pervenerunt, **Wilamowitzium** dico et **Seeckium**. Atque ille quidem[3]) antiquiorem quam litera A significat Odysseam libros ε—ξ continuisse et octavo saeculo exstitisse contendit. Fabulas

1) A. Kirchhoff: Die homerische Odyssee, Berlin 1879.

2) G. Schmidt: Über Kirchhoffs Odyssee-Studien, Programm. Kempten 1879.

3) U. v. Wilamowitz-Moellendorff: Homerische Untersuchungen (Philologische Untersuchungen, herausgeg. von A. Kiessling und Wilamowitz, VII. Heft. Berlin 1884).

tamen ipsas quas illo saeculo inter se connexas esse Wilamowitz arbitratur eiusdem iudicio ex variis aetatibus iisque longe vetustioribus incertam et obscuram originem ducere observandum est [1]; in his vero ea, quae de Lotophagis, Cyclopibus, Tiresia narrentur, antiquissima esse recte statuit.

Iam de Seeckii libro [2] nuper in lucem edito agere idcirco oportet, quod nondum publice condemnatus est ab existimatoribus [3], qui trium Odyssearum fragile donum in eius qui dedit manibus sine dubio reponent. Hic igitur libros $\varkappa$ et μ, quos Telemachiae suae inserit, et librum ι, quem illi poetae adscribit, qui ab eo Dichter der Verwandlung appellatur, sexto a. Chr. saeculo contaminatos, Phaeacida autem ab illo, quem vocat Speerkampfdichter septimi saeculi initio et ipsam contaminatam esse arbitratur. Ceterum et hos poetas et eum, qui Pisistrati aetate carmina connexerit, fabulas antiquitus traditas diligentissime servavisse obtinet. Verumtamen quando illas fabulas ortas et in formam quandam redactas esse suspicetur, non comperimus ab Seeckio, quippe qui Wilamowitzii de earum origine opinionem sequatur.

Ad summam: utrum librorum $\varkappa$ et μ alia, ut Kirchhoff asserverat, ac nunc exstat forma principio fuerit necne, ad

1) l. l. p. 169: Die Odyssee zerlegen wir in Epen: dazu ist Anhalt genug da. Diese Epen selbst sind wieder so entstanden, wie die Odyssee, durch Zusammenfügung und Umgestaltung von mehreren Gedichten. Und diese Gedichte einzeln stellen wieder dasselbe Problem. — Wir schauen in die unergründliche Tiefe der Sage.

2) O. Seeck: Die Quellen der Odyssee. Berlin 1887.

3) Id quod privatim iam factum est cum ab aliis tum a Guil. Christio, qui in litteris ad me datis Seeckium quod talia qualia haec: Bekanntlich gehört die Patrokleia zu den jüngsten Partieen der Ilias vel Odysseen gab es drei, Iliaden eine ganze Menge vanis ac futilibus argumentis nixus profiteri ausus est reprehendit.

id quod volumus parvi momenti est; argumenti enim naturam retractando non mutatam esse ipse concedit; quae ex Argonauticis ad apologorum aetatem colligit a nobis reprobari supra diximus. Wilamowitz autem et Seeck eam de errorum origine perhibent opinionem, qua cuivis saeculo fabulas adiudicari liceat. Atque horum, qui novam carmina inquirendi viam ingressi sunt, iudicia afferenda putavi, ut meam disputandi rationem iis non modo non impugnari sed etiam confirmari ostenderem. Ego enim Ulixis errores ea aetate versibus compositos esse arbitror, qua Graeci cum alienarum regionum tenuissimam, tum earum, quae ad occidentem versus sitae erant, omnino nullam notitiam habuerunt.

Quodsi ceterorum de hac re iudicia angustius tractabo, non vituperandus esse videor. Namque eorum sententiae qui totum carmen ab uno poeta factum esse contenderunt, cum non omnes Odysseae libros ab eodem compositos esse persuasum habeam, neglegendae mihi sunt. Inter eos autem, qui Odysseam poema simplex et unum esse ita negant, ut Wilamowitzii iudicia improbent, nostum Ulixis carmen et in se perfectum[1]) et Telemachia antiquius[2]) esse satis convenit; quamquam de nosti aetate valde inter se dissident. Has tam varias sententias Duentzer (Die homerischen Fragen p. 119 sqq.), Schneider (Über den Ursprung der homerischen Gedichte, Progr. Wittstock 1873) alii litteris mandavere. Ego ceteris omissis de iis, quae Guil. Christ[3]) disseruit, pauca dicam.

---

1) Wilh. Christ: Homer oder Homeriden p. 153 (Abh. d. I. Kl. d. k. b. Ak. d. Wiss. XVII. Bd. I. Abt. 1884.)

2) Homer oder Homeriden p. 171 sqq.

3) Zur Chronologie des altgriechischen Epos, Sitz. Ber. d. k. b. Ak. d. W. 1884. p. 1—60.

Huic cum vetustiorem *νόστον* extremo nono vel ineunte octavo saeculo compositum esse censeat non est quod non assentiamur. Duae autem causae, quibus Telemachiam et Necyiam circiter Ol. XV perfectas esse comprobare conatur, non satis firmae esse videntur. Quarum una Cimmeriorum Gyge regnante in Asiam minorem incursione nititur; cui quidem rei ipse exiguam vim tribuit, cum de aliqua probabilitate dicat et haec adiungat: Aber wenn nun auch die historischen Kimmerier und die Kimmerier der Odyssee in Zusammenhang stehen etc. Equidem quae inter veros, ut ita dicam, et Homeri Cimmerios ratio intercedere mihi videatur hoc ipso loco exponam. Cum aliquo casu ad Graecos de barbara quadam gente, quae septentrionalia Ponti euxini litora incoleret cuiusque sedes frequenti nebula obtegerentur, rumores allati essent, nomen huic populo quaerentibus Cimmeriorum in mentem venit, quos nebula et nubibus circumfundi apud Homerum legebant, atque adeo a rhapsodis audiebant; quid mirum, si hoc nomen ad illam gentem septentrionalem transtulerunt? Hanc eandem sententiam Lehrs his verbis professus est: „Eadem origo Cimmerii Bospori, unde Strabo colligit eo loco Cimmerios habitasse“ (l. l. p. 244). Quare ex Cimmeriorum incursione nihil ad Homeri aetatem colligi potest. Verum Artaciae nomen, quod exstat *κ* 108, aliquanto gravioris momenti esse Christio videtur. Qui Kirchhoffium secutus Artaciam ab illo, qui recentiorem *νόστον* condiderit, ex Argonauticis sumptam et carmini insertam esse, in Argonautica vero ex iis, quae de Cyzico condenda tradita sint, venisse dicit. Cui quidem sententiae sane aliquid tribueremus, si ea, quae Ulixi eiusque sociis apud Laestrygones acciderunt, re vera similia essent iis, quae Argonautis apud immanes illos terrae filios; nunc autem harum fabularum inter se similitudinem nemo,

qui integre iudicabit, animadvertet. Ergo Artacia ab Argonauticis eo consilio petita est, ut Odyssea uno versu augeretur? Certe quidem, — verum non a poeta, sed a posteriore quodam, cui nomen illi fonti afferre placuit. Cum igitur ϰ 108 commode deleri posse Christ ipse duobus locis concedat [1]), non est quod intercalatum esse non arbitremur. Artaciae autem nomine sublato corruit Kirchhoffii et Christii opinio, qua ϰ et μ non ante Ol. VII compositos esse censent. Sane ϰ et μ minus antiqui sint quam ι — id quod compluribus rebus comprobatur [2]) —, tamen non nimio temporis intervallo ab hoc disiungendi sunt. Quodsi veterem *νόστον* extremo fere nono saeculo conditum esse cum Christio ponimus, libros ϰ et μ partemque libri λ primo octavo saeculo haud falso attribuemus.

Itaque Milesiis, quippe qui non ante medium octavum saeculum ad Ponti euxini litora colonos mittere coeperint, quidquam ab Homero deberi a primo negamus. De Phoenicibus autem infra disputabimus. Illuc redeo, apologorum poetam vel poetas admodum exilem habuisse terrarum cognitionem. Ex hac igitur et ipsa parte Cratetis eiusque sectatorum rationem improbantes sequemur Eratosthenem.

Rem autem propositam non ita tractare constitui, ut de Eratosthenis fragmentis [3]) deinceps dissererem, sed ut eam quam Odyssea exhibet Ulixis errorum seriem secutus quam vere doctissimus ille vir existimavisset demonstrare

---

1) Noch eine Art von Interpolationen bei Homeros, Jahrb. f. kl. Phil. 1881 p. 446. Zur Chronologie des altgriechischen Epos p. 43.

2) C. Rothe: De vetere quem ex Odyssea Kirchhoffius eruit Νόστῳ. Progr. d. k. franz. Gymn. Berlin 1882 p. 1—13.

3) Die geographischen Fragmente des Eratosthenes, neu gesammelt, geordnet und besprochen von Dr. Hugo Berger. Leipz. 1880.

conarer. Ceterorum vero, qui hanc quaestionem attigerunt, sententias quamquam non licebat neglegere, non omnium tamen, cum numero nimium valerent, rationem habere potui. Itaque ne ultra modum extenderetur hoc opusculum neve ingenti variarum sententiarum mole paene oppressus meum iudicium amitterem, gravissimis ex immensa illa multitudine electis ita disputavi, ut Eratosthenis ratione subnixus rem deducerem, quamquam huius iudicia, ne ordo crebrius interrumperetur, non in ipsis cognoscendis erroribus exponere visum est.

Iam ad instituta pergamus.

Troia eversa Ulixes cum sociis suis ad Cicones (ι, 39 sq) venit, quos Thraciam qua ad meridiem spectat olim habitasse constat; Ismarum eam urbem intellegendam esse, cui postea Maroneia nomen erat, utrum scholiis [1]) recte traditum sit necne ad hanc quaestionem non pertinet; quod exploratam sedem huic populo poeta tribuit satis est.

Inde Ithacenses mari Aegeo transmisso Maleam promontorium praetervehentes apud Cythera aquilonis impetu a cursu suo deiciuntur; quas regiones quin Homerus noverit, non est quod dubitemus. Namque Maleam ut nautis periculosissimam iam antiquissimis temporibus infamem fuisse vel ex iis colligi potest, quae Nestor Telemacho de Menelai erroribus narrat (γ 287).

Ergo aquilone atque adeo exitiosis ventis ad Lotophagos decimo die Ulixes defertur, — decimo die! Quare novem dies noctesque nautas per aequor errantes poeta finxerit quaerere subit; ac mihi quidem Eustathius hanc quaestionem expedivisse videtur, cum Ulixem ab Homero de industria ex iis regionibus, quarum Graeci notitiam

1) οἱ δὲ Κίκονες ᾤκουν τὴν νῦν Μαρώνειαν καλουμένην.

habuerint, removeri dicat [1]). Verum Lotophagorum cibum tam singularem et insignem esse, ut Libyae natura plane indicetur Voelcker [2]) et multi alii recte obtinuerunt. Lotum enim eandem esse frugem, cui nunc iuiuba nomen est et qua hodie quoque gentes quaedam septentrionalis Libyae vescuntur, certum est. At eam ipsam sedem, ubi Voelcker Homeri Lotophagos ponit, huic populo a poeta non attributam esse haud minus certum est. De hac re bene Nitzsch [3]): „Die Fahrt von Maleia dahin führte jedenfalls nach Libyen; doch kam es gar auf die spezielle Gegend Libyens nicht an, ging es nur ungefähr nach dem Lande, von dessen süsser Frucht man wusste." Et apud Ebelingium [4]) recte: „Praeterea non tradit, quam in partem Ulixes delatus sit, postquam borea vento a promunturio Malea ad Lotophagos abreptus erat." Huc denique Eratosthenis illud [5]): *τά μὲν οὐκ ἀκριβῶς πεπυσμένον.* Quamquam igitur eorum, qui hoc cibo vescerentur, rumores ad Graecos illius aetatis allatos esse tenendum est, tamen quas regiones Lotophagos tenuisse arbitretur poeta nequaquam declarat; nostra autem minus fuisse Lotophagos quam ubi fuerint num Homerus doceat interest.

Iam verba *ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ* (*ι* 125) non licet silentio praeterire; quae quo valeant ex eo potissimum intellegitur, quod non hoc uno, sed pluribus identidem locis leguntur. Ulixes enim fatis et Neptuni ira

---

1) Eustath. 1617, 8. — cf. schol. ad *ι* 80.

2) K. H. W. Voelcker: Über homerische Geographie und Weltkunde. Hannover 1830 (§ 57).

3) G. W. Nitzsch: Erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee. III. Bd. Hannover 1840. p. XXVI.

4) Lexicon Homericum, composuerunt C. Capelle etc. edidit H. Ebeling. Lips. 1874; s. v. *Ὠγυγίη.*

5) Strab. C 26.

per mare iactatus cum ab hac illa terra profectus patriam petit „προτέρω" navigat; porro autem navigare eum cum poeta dicit, quo deinceps tendat Ulixes celamur. Et hoc quidem Eustathius iis, quae de versu ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν sq. notavit, satis explanasse videtur [1]). Regionum enim vestigia ab Homero consulto obscurata esse dicit, ut, cum locorum ignari essemus, ad suum arbitrium rem agere posset. Verum haec interpretatio multis improbetur; sane illo versu poeta saepius uti potuit eo consilio, ut errorum contextum facilius efficeret. Ventorum autem, quibus nautae feruntur, cum crebro fiat mentio, num iis commemorandis locorum situm indicaverit inquirere oportet. Atque quo vento usos Ithacos e Lotophagorum finibus profectos esse statuendum esset, cum alii tum J. H. Voss et Voelcker inquisiverunt. Quorum alter [2]) nihil aliud affert nisi Ulixem ne ventum secundum exspectaret sociorum cupidine impeditum remis navigare coactum esse; alter [3]), qui pluribus dissert, austro flante naves solvisse contendit; neque enim Zephyro exoptato, quod eo iuvante brevi tempore domum relatus esset, neque aquilone aut euro Ulixem usum esse quod adversus hos vela contraxisset; hoc quoque doctus ille vir ad firmandam sententiam suam profert, Cyclopum terram ad septemtriones ab Lotophagis vergere. Haec sunt verba eius: „Es liegt nördlicher als die Lotophagen wohnen; denn zu ihnen kommt man von dem südlichen Maleia mit dem Boreas, dagegen von Äolia zu dem nördlicheren Ithaka mit dem Zephyr. Äolus muss aber durchaus südlicher oder wenigstens nicht nördlicher wohnen als Polyphem. Subtilis quidem argumentandi ratio et quae non mediocris ingenii

1) Eust. 1615, 40 (ad ι, 62). — cf. 1618, 64 (ad ι, 115).

2) J. H. Voss: Kritische Blätter, Stuttg. 1828, II. Bd. p. 300.

3) Voelcker: Homerische Geographie und Weltkunde § 58.

sit; nec tamen hanc sententiam probare possumus. Namque si cum austro Ulixem Lotophagorum oram reliquisse poeta vult, cur eum non nominat? Cur tantam sagacitatem, quantam Voelcker adhibet, a nobis postulat? Cur hoc ipso loco, cum ventum noscere nostra plurimum intersit, cum ceterorum locorum cognitio in eo nomine posita sit, de vento celamur? An illas regiones longissime remotas iis, qui Homeri carmina legerent vel audirent, tam bene notas fuisse statuemus, ut austri mentionem facere supervacaneum poetae videretur? Atqui una voce dubitatio tolli potuerat! Ergo poetam, si locorum situm perspicuum fieri volebat, ventum nominaturum fuisse nemo sanus infitias ibit; efficitur, ut regionum vestigia obscurare conetur. Ab Lotophagis igitur discedens Ulixes notarum terrarum quasi limen transgressus in fabulosas illas regiones eicitur, unde multa et horribilia passus sociis omnibus amissis aliena navi post decem annos in patriam reportatur.

Iam remigantes ad parvam insulam sedibus Cyclopum obiectam veniunt (ι 116), de qua et veteres et recentiores permulta disseruerunt. Quae quidem fere omnia, cum a re proposita aliena sint, omittemus; pauca non neglegenda esse videntur. Ad Lilybaei promontorium qua ad occidentem vergit insulam eius, quam Homerus describit, satis similem a Cluvero [1]) repertam esse constat; fertilem et sinuosam et cui ob caprarum copiam Aegusa nomen esset. Quem sectatus Nissen [2]) hanc Aegatium quandam intellegendam esse insulam obiter ponit. Quamquam ego eos, qui oculorum fide nituntur, nimio Homericas, ut ita dicam, regiones inveniendi studio haud raro deceptos esse

1) Ph. Cluverus (Klüwer): Sicilia antiqua, Lugdun. Batav. 1619.

2) H. Nissen: Italische Landeskunde; I. Bd. Land und Leute; Berlin 1883; p. 4.

compertum habeo, tamen quae de Aegusa Cluverus narrat ab iis, quae apud Homerum scripta sunt, non discrepare facile concedo. Sed hanc convenientiam fortuitam esse hinc apparebit. Etenim sane mirum est, poetam huius tam exiguae insulae notitiam habuisse, Cyclopum — de quibus exinde agendum — terram ex adverso sitam ut prorsus fabulosam descripsisse; atque illud quidem multo magis mirum, cum neque nomen insulae proferat neque ab hominibus eam coli dicat. Ceterum si Gitlbauer [1]) de hoc loco recte disputavit, ipsa illa similitudo valde minuitur. Qui argumentis, quorum pars firmissima est, versus ι 106—151 ita corruptos esse defendit, ut plurima eorum, quae nunc de parva insula legimus, principio de Cyclopum terra scripta fuerint; una caprarum multitudine hanc insulam insignem esse contendit. Iam quid equidem de hac insula sentiam exponam. Ulixes si omnes naves ad Cyclopes appulisset, ab ira Polyphemi aliorumque Cyclopum, qui cum navigandi ignari essent Ithacenses fugientes per aequor non quidem persecuturi sed, cum viribus admodum pollerent, saxa ingerentes perdituri erant, suos prohibere non potuit; itaque ceteris navibus in portu illius insulae relictis una, quippe qua perniciem effugere minus difficile esset, Ulixem appelli poeta narrat. Cum igitur ea regione opus esset, ubi duce cum delectis ad maxima pericula proficiscente ceteri in tuto remanerent, quo ipse deinde quasi ad certum receptaculum confugeret: hanc insulam, quae re vera nusquam esset, a poeta fictam esse putandum est. Iis vero, quae Lauth [2]) ad hunc locum profert, cum dicat: Die ins

1) M. Gitlbauer: Philologische Streifzüge, Freib. i. Br. 1886 V. Die Geographie des Kyklopenlandes p. 143—166.

2) F. J. Lauth: Homer und Ägypten, Progr. d. k. Max Gymn. zu München 1867, p. 18.

Einzelne gehende Beschreibung der Ziegeninsel lässt den Gedanken an ein fiktives Eiland nicht aufkommen — nostra interpretatio nihil labefactatur. Namque Homerus cum in illis, quae procul a Graecia abessent, describendis multa ac varia ad arbitrium confingere posset, remotissimam quamque regionem copiosissime depingere consuevit; contra Chius, Psyria, Marathon, Athenae aliaque, quae ut Graecis penitus cognita poetae ingenio ac sollertiae parum materiae suppeditarent, strictim nominantur.

De Cyclopum sedibus haec. Eos Siciliam coluisse iam antiquis temporibus creditum est [1]; quae sententia et recentiorum permultis probata est velut Vossio (l. l. p. 300) cui non Siciliam — hoc enim pro explorato habet —, sed eam quae ad occasum spectat Siciliae partem illos tenuisse comprobandum videtur. Voelcker autem (l. l. § 58) postquam Cyclopum terram et ad septemtriones ab Lotophagis vergere et sub eundem fere circulum meridianum cadere nimis subtili argumentandi ratione extricavit et ipse in Sicilia eos habitasse statuit. Duo autem quae hic profert argumenta omnino nullius momenti sunt: veterum consensus et ubertas agri. Atque illud refutare supersedeo; ubertatis laudi ea oppono, quae ab Homero ε 63—74 de Calypsus insula dicta sunt. Quodsi hoc unum superest argumentum, Ogygiam et Siciliam eandem insulam esse non minus recte opineris. Lauth (l. l. p. 18) item probat Siciliam, sed minus confidenter: Ihre (Cyclopum) Lokalisierung im Ätna aber, d. h. auf Sizilien, ist auch mit Homers Anschauungen vereinbar. — Es ist gerade kein dankenswertes Unternehmen, den Schleier des Fabelhaften zu lüften und dahinter Ge-

1) schol. ad ι, 106: *ἐν Σικελίᾳ ὑποτίθενται οἱ νεώτεροι τοὺς Κύκλωπας.* — Eust. 1625, 22: *ὅτι — Σικελία.*

schichtliches oder Ethnographisches zu entdecken. Recte tu quidem! Et hoc iam Thucydidem vidisse his docemur: *παλαιότατοι λέγονται ἐν μέρει τινὶ τῆς χώρας* (Siciliam dicit) *Κύκλωπες καὶ Λαιστρυγόνες οἰκῆσαι, ὧν ἐγὼ οὔτε γένος ἔχω εἰπεῖν οὔτε ὁπόθεν ἐσῆλθον ἢ ὅποι ἀπεχώρησαν* (VI, 2). Sane recentiorum quoque plurimi iique gravissimae auctoritatis ubi Cyclopes habitasse poeta velit inquirere irritum inceptum arbitrantur; sed nescio quo pacto hodie quoque operam in hac re multi frustra consumunt. Velut Buchholz [1]) Cyclopum (Laestrygonumque) fines Sicaniae (sic!) partes fuisse atque Theocriti testimonio adhibito pro certo habet. Quem quidem si Lehrsii de Aristarchi studiis Homericis egregium librum legisset, tales ineptias vitaturum fuisse Friedlaender [2]) non minus recte quam acerbe notavit. Ceterum Sicaniae non licebat fieri mentionem; etenim Sicaniae Siculorumque nomina, quae in extremis iisdemque minime antiquis Odysseae libris legantur, ab Ulixis erroribus prorsus aliena esse constat. Krichenbauer [3]) vero in eius quam nunc Somalorum barbarae gentes habitant terrae litoribus Cyclopes fuisse et Homeri *νῆσον ἐλάχειαν* nunc Abd el Kury appellari nova et mira opinione tenetur; quam opinionem argumentis refellere supersedeo. Sane igitur nec nomen nec natura Cyclopum a poeta ficta sed ex vetustiorum fabularum copia sumpta sint; tamen ea quae de sedibus et moribus illorum narrat ab ipso inventa esse apparet.

---

1) E. Buchholz: Die homerischen Realien: Kosmographie und Geographie, Leipz. 1871, p. 260.

2) Ludw. Friedlaender: Die Ölkultur bei Homer und andere homer. Realien. Jahrb. f. kl. Ph. 1873 p. 93 f.

3) A. Krichenbauer: Die Irrfahrt des Odysseus als eine Umschiffung Afrikas erklärt. Berlin 1877.

A Cyclopibus porro navigantes — hoc unum atque adeo nihil de cursu comperimus verbis ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν — ad Aeoliam insulam perveniunt. Et cum nec ventum poeta nominet nec quamdiu navigaverint ostendat, tamen multi situm insulae exquirere conati sunt. Atque illa quidem, quae in schol. ad κ, 1 (cod. Q [Dind.]) et apud Eustathium 1644, 33 et 39 (inde a verbis ἄλλοι δέ γε) scripta sunt, inania esse Lehrs (l. l. p. 244 sqq.) demonstravit iis, quae de locorum nominibus disseruit; eo igitur, quod posterioribus temporibus aliqua iuxta Siciliam Aeoli nominabatur insula, haudquaquam efficitur, ut haec eadem fuerit, quam Homerus describit. Voelcker (l. l. § 59) autem freto Siciliam inter et Africam appositam esse censet, cum Ulixem non plus quam unum diem navigare statuat, — suum arbitrium magis quam poetae verba secutus. Etenim cum ille nihil memoratu dignum in hoc itinere passus esset, poeta nihil dicit de via, quae longa an brevis fuerit celamur. Ceterum hanc insulam Homero notam fuisse aliis insuper rationibus docti probare operam dederunt. Atque ii, quorum sententias Eustathius (1645, 53) tradit, Liparam insulam Aeoliam fuisse volunt; Strabo autem Liparaeorum insulis a quibusdam Aeoli nomen dari et Strongylen Aeolum tenuisse dici memoriae prodit (C 275, 276). Sed ea, quibus nituntur, ob hoc ipsum valde infirma sunt, quod non solum de Lipara vel Strongyle verum etiam de multis aliis regionibus dici possunt. Hoc Voelcker (l. l. § 59), cui quidem Aegatium quandam esse Aeoli insulam certum est, concedere cogitur; nec verba eius afferre alienum videtur: Ob Unkenntnis des Dichters seinem Äolia die unrichtige Stelle anweist, ob andere, ebenfalls vulkanische Erscheinungen um Lilybäum oder Pachynum zur Bildung der Sage einwirkten, wer mag da entscheiden, wo nur Vermutungen

bescheiden auftreten dürfen? Verum si utique locum qui montibus flammas eructantibus insignis esset poetae ob oculos versatum esse existimare placet: cur non potius res ex propinquo sumptas carmini suo eum inseruisse quam remotiores circa Siciliam insulas male significasse putamus? Ad Cretae quidem et Argolidos oras regiones quasdam constat abundasse montibus, qui ignes interdum evomerent [1]. At praesumptam opinionem suam Homeri fabulis aptare tentantibus omnia similia esse videntur; velut apud Nissen (l. l. p. 4 not. 3) haec scripta sunt: Die liparischen Inseln wurden von den Alten nach Äolus benannt. Die Gruppe zählt sieben grössere und eine Anzahl kleinerer Inseln. In artiger Weise ist dieselbe in dem Hause des Äolus personificiert, so dass der Vater mit seinen sechs Söhnen die grösseren, die Mutter mit den sechs Töchtern die kleineren jenen vermählten Inseln darstellen.

Restat, ut de verbis *πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ* (κ 3) pauca dicam. Quaeritur utrum activa an passiva intellegenda sit vox *πλωτός*. Intransitivorum — *πλωτός* a *πλώω* = *πλέω* navigo, nato — adiectiva verbalia aut suam servare significationem aut idem quod Partic. Praes. Act. valere Kuehner [2] demonstrat conferens *θνητός* mortalis, *ῥυτός* fluens [3], *μενετός* exspectans (*μενετοὶ θεοί* Ar. av. 1620) alia; ergo *πλωτός* natans interpretabimur grammatice. Quam sententiam vocabulo inesse iam Aristarchus censet, cum *πλωτή* nihil aliud esse obtineat nisi *φορητή*, *περιφερομένη* (schol. κ 3. — Eust. 1644, 50). Comprobaverunt hanc sententiam Henr. Ste-

1) J. Wimmer: Historische Landschaftskunde, Innsbruck 1885 p. 14 ff.

2) Raph. Kuehner: Ausführliche Grammatik der griech. Sprache. Hannover 1869. I, 715.

3) Soph. Ai. 883 *ῥυτῶν Βοσπορίων ποταμῶν*. — Aristot. Meteor. 2, 1 ubi *ὕδατα ῥυτά* et *στάσιμα* inter se opponuntur.

phanus [1]), Crusius (ad κ 3), Goebel [2]) alii multi. Apud Ebelingium mire: „πλωτός natans; — sed quia Ulixes rediens denuo eam invenit, non vero invenisset si natasset insula“. Quid? et tamen natans interpretandum πλωτός? At Crates cum suis interpretatur ἡ προσπλεομένη ὑπ' ἀνθρώπων aut ἐμπλεομένη aut περιρρεομένη (schol. κ 3); atque hanc interpretationem recentiorum acerrime Nitzsch (l. l. p. 87) defendit, qui nixus poetae verbis πᾶσαν δέ τέ μιν πέρι τεῖχος — χάλκεον ἄρρηκτον, λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη indignabundus interrogat: Wie in aller Welt kann diese Insel als schwimmend gedacht sein? Equidem interrogaverim, num ea insula quae infracto et impenetrabili cingatur muro ab hominibus multum frequentari recte dicatur! An insula ipsa, cuius quidem radices in fundo maris defixa sint, moveri potest, murus et saxa non possunt? Atque poetae, non physici aut geographi verba explicamus! Accedit, ut memorabile aliquid et quo Aeolia ab aliis insulis differret poetam dicere voluisse maxime hoc appareat, quod hoc uno loco voce πλωτή utatur; at quid novum aut singulare, si nihil aliud comperimus nisi insulam fuisse προσπλεομένην ὑπ' ἀνθρώπων aut περιρρεομένην? Ergo certum est, Aeoliam in mari natasse sicut Delum apud Pindarum (fragm. 58) et Chemmin apud Herodotum (I, 156). At Krichenbauer (l. l. p. 52) et Jarz [3]) cum πλωτὴν νῆσον eam esse arbitrentur, cuius interior pars navigabilis sit, illam insulam, cui nunc Rodriguez nomen sit, Homerum significasse suspicantur. Quam sententiam an posteriores

1) s. v. πλωτός: — ex his interpretationibus sola vera est Aristarchi.

2) Ant. Goebel: Lexilogus zu Homer und den Homeriden. Berl. 1878. II, 546.

3) K. Jarz: Beiträge zur homerischen Geographie. Wien 1882.

non magis quam ei qui nunc sunt philologi probaturi sint dubito.

Quodsi quaeras, quibus causis adductus natantem poeta finxerit Aeoliam, si integre iudices, id eum egisse invenias, ut ubi insula esset in medio relinqueretur, nisi quod ad occidentem ab Ithaca fuisse hoc versu docemur: *αὐτὰρ ἐμοὶ πνοιὴν Ζεφύρου προέηκεν ἀῆναι* (κ 25); quae sententia non repugnat iis, quae Voss (l. l. p. 302 sq.) admodum subtiliter de hoc loco disseruit. Recte igitur ille, cuius iudicium scholia (ad κ 3 cod. T) exhibent, existimavit: *καὶ ἴσως τερατεύεται, ἵνα μὴ ζητῶμεν πῶς κεῖται.*

Iam paulum aberat, quin Ulixes, quippe cui discedenti Aeolus famosum illum ventorum utrem donavisset, in patriam perveniret, cum sociorum auri argentique nimis cupidorum culpa vastum in aequor reiectus iterum ad Aeoliam defertur euro videlicet praecipue vexatus, quamquam omnium ventorum furore circumactus esse narratur (*ἄνεμοι δ' ἐκ πάντες ὄρουσαν* κ 47). Unde depulsus ut homo nefarius et qui diis odio esset naves cum suius conscendit et — porro navigat (*ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν* κ 77); et postquam septem dies et noctes mare pererravit, ad Laestrygones defertur, qui Lami arduum oppidum, Telepylum Laestrygoniam, incolunt. *Λάμον* equidem generis masculini esse putaverim; ac Lamus non rex — huic enim est nomen Antiphates (κ 106, 114) —, sed auctor Laestrygonum gentis conditorque urbis intellegendus est. Telepylus autem est nomen proprium; quo nomine ea urbs indicatur, quae ingentibus portis insignis sit. Laestrygonia vero est adiectivum substantivo Telepylus attributum.

Iam ad ea, quae leguntur κ 82—86 explicanda accedamus; atque haec ut admodum obscura et impedita pluribus tractare liceat. Versus ipsos afferam.

Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην, ὅθι ποιμένα ποιμὴν
ἠπύει εἰσελάων, ὁ δέ τ' ἐξελάων ὑπακούει.
ἔνθα κ' ἄϋπνος ἀνὴρ δοιοὺς ἐξήρατο μισθούς,
τὸν μὲν βουκολέων, τὸν δ' ἄργυφα μῆλα νομεύων·
ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι.

Docti viri, qui hos versus explanandos susceperunt, in duas partes ita discessere, ut alteri *τοπικῶς* (ut ait Eustathius), alteri *χρονικῶς* intellegerent *κ* 86 *ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι.* Ac prius quidem verba tradita conservantes videamus, quomodo *τοπικῶς* interpretari possimus. Cum particula *γὰρ* ad haec quoque pertineat:

ὅθι ποιμένα ποιμὴν
ἠπύει εἰσελάων, ὁ δέ τ' ἐξελάων ὑπακούει, ad explicandum versum 86 non modo v. 84, sed etiam vv. 82 et 83 adhiberi oportet. Eo igitur, quod via diurna, ut ita dicam, prope abest a nocturna, fieri potest, ut exiens pastor redeuntis clamorem audiat; cur diurnas et nocturnas poeta appellaverit si exquirere volumus, respicienda sunt, quae *κ* 84 et 85 leguntur. Is enim, qui somno cal rere possit, duplicem mercedem sibi colligat, — interdiu scilicet alteram, alteram noctu, ut per noctes quoque in iis regionibus pecora pasci poeta declaret. Cum autem greges non per dies ac noctes continenter in pascuis fuisse manifestum sit, quaeritur, utram partem die, utram nocte pascere Laestrygones soliti sint. Vide v. 85 *τὸν μὲν βουκολέων, τὸν δ' ἄργυφα μῆλα νομεύων.* Bovesne interdiu pascantur, noctu pecudes an noctu boves, pecudes interdiu — nisi forte *βουκολέων-νυκτός, μῆλα-ἤματος* inter se respondent —, ex carmine non cognoscitur; sed boves, ut qui oestris et solis ardori propter pilorum tenuitatem nimis subiecti sint, nocte, pecora, quae lanae densitate ab illis malis bene tegantur, interdiu pasci consuesse ex Vergili georgico (III, 156) com-

perimus. Ergo νυκτὸς κέλευθοι ii sunt, quibus ad nocturna, ἤματος, quibus ad diurna pascua venitur; quae viae cum exiguo intervallo dirimantur, homines laboriosi simulatque ab uno pascuo redierunt, ad alterum exeuntes, simulatque unum gregem reduxerunt, alterum educentes duplicem mercedem sibi colligere possunt. Ita illi versus sententiam satis dilucidam exhibere videntur.

Copiosius hanc rem idcirco pertractavi, ut poetae verbis ac literis integre observatis illud τοπικῶς probari posse ostenderem. Quodsi nihilo minus diversam explicandi rationem sequar, hac potissimum causa commoveor, quod iis, qui τοπικῶς interpretantur, tritum aliquid et obsoletum, nihil mirum memoratuque dignum poetam narravisse putandum est. Hoc cum perspexerit Guil. Schwartz [1]) novam viam ingressus Telepylum, quam eam urbem fuisse, cuius portae multum inter se distent, cum compluribus aliis obtinet, tam ingenti fuisse longitudine arbitratur, ut sol quo tempore ab una parte occidat, eodem fere oriatur ab altera. Verum cum alia multa tum vocabulum ἐγγὺς κ 86 repugnat huic interpretationi. An quia Telepyli immensa sit amplitudo noctis et diei cursus prope inter se abesse censebimus? Praeterea quod idem contendit κ 84 ita accipiendum esse, ut insomnes illi, cum tota Laestrygonum gens eximia sit magnitudine viribusque immanibus, incredibili celeritate plateam emetientes ab una porta ad alteram brevissimo tempore perveniant, non intellexit poetam mirabiles illos urbem percurrentium motus acriter et nervose descripturum fuisse. Ieiuna enim et sicca verbis exponere, reticere grandia et magnifica non est poetarum. Ergo cum plurimis doctis illos versus ita intellegemus, ut apud Laestrygones sol

1) W. Schwartz: Zur homerischen Hermeneutik. Jahrb. f. kl. Philol. 1876 p. 844 ff.

paulo post quam occidit oriatur; singula copiosissime apud Nitzchium (l. l. p. 101 ss.) et Lauerum [1]).

Haec tamen addo. Versus 85 utique tollendus est. Quid enim refert bovesne an pecora pascantur, si non dici et noctis vicissitudine certum tempus bobus, certum pecoribus pascendis statuitur? Ipsum Nitzschium in hoc versu, quem quidem non ausus est delere, valde offendisse neminem qui verba eius diligentius perlegerit praeteribit; namque hunc versum minimi momenti esse saepius asseverat particulis *μὲν* — *δὲ* parum tribuens atque adeo eas omnino neglegens. Verum is, qui *τοπικῶς* intellegens locum vocabuli *δοιούς* (κ 84), quod quidem *χρονικῶς* acceptum poeta vellet, explanationem desideraret, illud *τὸν μὲν βουκολέων, τὸν δ' ἄργυφα μῆλα νομεύων* intercalasse videtur. Ceterum hi versus et ipsi doctis praebuerunt, unde remotissimarum regionum poetam aliquam habuisse notitiam colligerent; quorum Crates videlicet princeps (schol. ad κ 86. — Eust. 1649, 27. — Gemin. elem. astron. c. 5). Longarum enim septemtrionis noctium rumores ad Homeri aequales allatos esse arbitrantur cum Cratete Nitzsch, Muellenhoff [2]), Martin [3]), Wilamowitz (l. l. p. 168 die kurzen Nächte, die niemand auf etwas anderes als auf hohen Norden beziehen kann) alii multi. Quodsi quaeras, quos huius notitiae Graecis auctores fuisse suspicentur, Phoenices dicunt. Atque hunc unum populum tales rumores ad Graecos afferre potuisse

1) J. Fr. Lauer: Geschichte der homerischen Poesie (Litterarischer Nachlass. Erster Band. Herausgeg. von Th. Beccard und M. Herz. Berlin 1851).

2) K. Muellenhoff: Deutsche Altertumskunde, I. Bd., Berlin 1870.

3) H. Martin: Les longs jours et les courtes nuits du pays des Laistrygons suivant Homer (Annuaire de l' association pour l' encouragement des études Grecques en France. 12[e] année 1878. Paris).

concedo [1]), nego voluisse. Quid? astutissimam Phoenicum gentem, cuius plurimum interesset Graecos deterrere, ne aliena adire litora auderent, eam gentem, quae Graecorum acerrima ingenia penitus novisset, alia nisi horrifica aut levia de longinquis regionibus narravisse credemus? At neque horribile neque leve exiguumve tradebant narrantes de iis regionibus, quae noctium tenebris nunquam fere circumfusae sempiterna solis luce illustrarentur. Ne huiusmodi narratiunculis illa loca videndi desiderium in Graecorum animis excitarent non cavisse Phoenices?

Nec desunt, qui explorata loca Laestrygones habitasse contendant; ex eo numero confidentissime E. Baer [2]) ubi nunc sit Balaklawa oppidum — quod apud Strabonem *Σύμβολον* nominatur —, ibi Laestrygonum sedes fuisse asseverat. Sed ad hanc sententiam confirmandam non modo Aeoli insulam Ulixe absente in septemtrionem versus natavisse ad arbitrium ponit (p. 4), sed etiam — id quod minime veri simile est — Graecos iam Homeri aetate septemtrionalia Ponti euxini litora adisse statuit; singula autem disceptanda ad eos reicio, qui autopsia, ut ille doctus vir, nituntur. Apud ipsius vero Africae qua ad orientem vergit oram Laestrygonum terram Krichenbauer et Jarz repperisse sibi videntur.

Ad extremum de Artacia fonte, cuius nomen ab Odyssea alienum esse supra diximus, perpauca addenda sunt. Cyzicenam regionem Laestrygones incoluisse ex commemoratione

1) Quamquam sucini apud Homerum mentionem, cui Nitzsch, Muellenhoff, alii multum tribuerunt, perexigui momenti esse haud falso contendit Lauer, qui (l. l. p. 318) non solum in septemtrionali Europa verum etiam in Sicilia, Italia, Hispania sucini copiam reperiri monet.

2) E. v. Baer: „Die homerischen Lokalitäten in der Odyssee", nach dem Tode des Verfassers herausgeg. von Prof. L. Stieda in Dorpat. Braunschweig 1878.

huius fontis Kirchhoff (l. l. p. 287 sq) coegit. At Ulixem, qui remota occidentis maria pererraret, in illa loca depulsum esse nullo indicio firmatur. Quod vero postmodum prope Cyzicum Ἀρτάκη quoddam oppidum, cui nunc Artaki nomen est, exstitit, nihil ad Homeri Artaciam pertinere omnes, quibus probantur quae Lehrs (l. l. p. 244 sq.) de locorum nominibus prudentissime disseruit, intellegent. Denique, quandoquidem occasio data est, mirum, ut mihi videtur, artificium etymologicum commemoraverim. Lauth (l. l. p. 20) vocem Ἀρτακίη compositam esse opinatur ex „ar" = facere et „techu (tichi)" = ebrius; quasi vero unquam ullius fontis aqua homines ebrii facti essent.

Sed satis de Laestrygonibus.

Horum fines per celerem fugam relinquens una navi Ulixes rursus porro navigat *(ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν κ* 133) et ad Circae insulam defertur. Aeacam, ut Voelcker statuit (l. l. § 61), ad septemtrionem ab Laestrygonum sedibus hisque propinquam esse poeta non modo nusquam dilucide exprimit sed ne obscuris quidem verbis ostendit.

Vos autem (l. l. p. 304) insulam an der Mitte des namenlosen Westlandes sitam esse obiter dicit. Quam levis vero momenti talia sint quale hoc scholiastae: *ταύτην ἔνιοί φασι τὸ νῦν Κίρκαιον πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ* supra demonstravimus Lehrsii ingenium laudantes. Quin etiam cum Ulixes socios his verbis alloquatur (κ 190 sq.):

ὦ φίλοι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπῃ ζόφος οὐδ' ὅπῃ ἠώς,
οὐδ' ὅπῃ ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶς' ὑπὸ γαῖαν
οὐδ' ὅπῃ ἀννεῖται

a poeta ipso monemur, ne locorum vestigia inquirentes operam perdamus. Quos quidem versus delendos esse Duentzer [1])

1) Homers Odyssee, erklärende Schulausgabe von Heinr. Duentzer. II. Heft. Paderborn 1863.

haud scio an falso obtineat; cuius opinioni hoc potissimum repugnare videtur, quod illis versibus sublatis particulam *γὰρ* (194) inutilem esse apparet. Etenim ad illud *κέκλυτέ μευ* (189) referri non posse cum ipse intellegeret 174 et 226 cum v. 194 composuit, — non recte hoc quidem. Namque illis duobus locis (*οὐ* —, *ἔνδον) γὰρ* secundum ipsum vocativum *ὦ φίλοι* positum est, ut exhortationis quae continuo sequitur *(ἀλλ' ἄγετ'* et *ἀλλὰ φθεγγώμεθα θᾶσσον)* causa ante afferatur. Eadem autem dicendi ratio adhibetur *κ* 190—193, cum *(οὐ) γάρ* post *ὦ φίλοι* positum ad exhortationem *ἀλλὰ φραζώμεθα θᾶσσον* referendum sit. Cum igitur illa verba non modo Homerice — liceat hoc uti vocabulo-dicta sint sed etiam deleta grammaticam efficiant difficultatem vv. 190—193 intercalatos esse non est probabile. At versum 189, quo orationes saepe incohentur, hic facile interponi potuisse liquet.

Atque hoc loco vv. *μ* 1 sqq. non omittendi esse videntur. Ulixes orco relicto ad Aeaeam insulam revertitur,

ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
οἰκία καὶ χοροί εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ἠελίοιο (*μ* 3 sq). Haec verba si qui sola per se spectaverit, Circae insulam sub solis ortu fuisse negare vix poterit. Verum cum ab orco proxime absit, quem quidem in occidentis partibus ponamus oportet, explicatio horum versuum multis difficultatibus obstructa est. Usitata autem huius loci interpretatio planis poetae verbis valde adversatur. Nam etsi probanda est Voelckeri (l. l. § 61) sententia, qui regionem Solis sacram occidenti non minus recte quam orienti tribui arbitratur, illud tamen vituperabimus, quod Aurorae sedem et Solis ortus in obeuntis solis partibus collocari non miratur. Atque Aurora dea, utpote quae ab ortu discedere posset, aedes illa quidem chorosque sane habuerit ad occasum (§ 66), quamquam si cui haec sententia

minus arrideat, cum non reprehendam; at vero ortus Solis ipsos ad occidentem a poeta transferri quis est quin ineptum atque absurdum existimet? Et hoc sentientes viri docti poetae verba liberius tractaverunt. Scholia praeter alias hanc interpretationem exhibent: *ἢ ὅτι ἐξ Ἅιδου ἐλθόντες πρώτην αὐτὴν φωτεινὴν ἐθεάσαντο* (cf. Eust. 1705, 23), quam explanationem cum alii recentiores tum Voss et Voelcker laudant; quorum alter (Voss l. l. p. 310) simpliciter dicit: Wo die Lichtgöttin Eos und der Sonnengott Helios ihre Macht üben, alter (§ 67) eadem fere pluribus: Vor dem Ausgang aus dem Hades liegt nun die Sonneninsel der Kirke. Sie bildet einen Gegensatz gegen den sonnenlosen Hades! Hier ist also wieder des Helios Aufgang. Verum haec Voelckerum non scripturum fuisse credo, si diligentius ad Homeri verba animum intendisset. Tanti est illos versus repetere:

νῆσόν τ' Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
οἰκία καὶ χοροί εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ἠελίοιο.

Quid? Aurorae aedes chorosque et ortum Solis iis, qui ex orco reverterentur, in Aeaea fuisse, — hanc sententiam illis versibus inesse bona fide credere quemquam? Nil sane aliud nisi in Circae insula Auroram habitare, ibi Solem oriri consuevisse poeta dixit, cum verbo *εἰσι* utitur; et sicut hoc Voelckeri, ita Vossii interpretationi vocabulum *ἀντολαὶ* repugnat. An quod Graece dicitur *ἀντολαὶ Ἠελίοιο*, hoc idem nostra lingua verbis Helios übt seine Macht exprimi arbitrabimur? Et nescio quo pacto permulti eadem aut simili ratione locum explicare tentaverunt, velut Nitzsch (l. l. p. 361 sq.), qui *ὅθι δὴ Ἠοῦς* scribit pro *ὅθι τ' Ἠοῦς* et ita interpretatur: Wo schon, wo denn der tagenden Eos Wohnung und Bahnen sind und Helios Strahlen sich aufthun; et infra: Wo man sich wieder im Gebiet des Tages-

lichtes befindet. Ac ne ab Duentzero quidem, qui εὐναὶ, non ἀντολαὶ poetam scripsisse imbecilla suspicione opinatur, nodus dissolvitur, quod aedibus et choris Aurorae clarissime oriens significatur. Ergo deverticulis flexionibusque contemptis quod non dixit Homerus dixisse eum aut dicere voluisse negabimus. Et recentissimorum complures orientem illis verbis indicari obtinuerunt. Ac Baerio, qui Ulixem in orientis partibus erravisse defendere conaretur, hos versus exoptatissimos fuisse apparet; cuius iudicia nobis improbari supra diximus. Wilamowitz autem cum Aeaea orcum quoque et Cimmerios, ut illi insulae finitimos, in orientis regionibus collocat; at orcum in extremo occidente ponendum esse ipsa voce ζόφος, qua semper occidentem poeta significat, demonstratur. Qua vero Seeck hanc quaestionem expedivisse sibi videtur nimium simplex est ratio. Ulixem enim, quem ab antiquissimis Graecis ut Solem cultum esse viginti debilibus ac vanis argumentis (l. l. p. 267—272) demonstrare conatur, orcum, quem in occidentis fine ingressus sit, peragravisse et in contraria parte, oriente scilicet, reliquisse eoque pervenisse censet ὅθι τ' Ἠοῦς κτλ. Brevissima haec quidem interpretationis via, ea tamen, quam insistere criticorum legibus prohibeamur.

Atque qua una ratione hoc tam obscurum aenigma solvi possit Guil. Christ [1]) docuisse mihi videtur. Argonauticarum enim fabularum cum vetere Ὀδυσσέως νόστῳ confusione quadam facta nonnulla ex illis in Odysseam ita translata esse affirmat, ut locorum situs neglegerentur. Et quamquam non omnia, quae de hac re dissert — velut Artaciae commemorationem —, plurima tamen probamus.

1) W. Christ: Noch eine Art von Interpolationen bei Homeros. Jahrb. f. kl. Philol. 1881 p. 440 sq.

Cum igitur Circe κ 138 *αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο* appellata esset, sedem eius in Colchorum regis finibus collocatam esse non est quod miremur. Neque enim loca plane indicare sed fabulis carmen exornare poeta studebat.

Iam ad reliquos Ulixis errores pergamus. Priusquam ab Aeaea in patriam versus navem tendit, Circae iussu ad inferos proficisci in animum inducit; et postquam aquilone, quem dea miserat, adiutus mare et Oceanum percurrit, ad Cimmerios venit, qui nebula ac nubibus adeo obducuntur, ut ne solis quidem radii ad eos penetrare possint. Ex variis veterum coniecturis hanc: *ἐπιλάμπει μὲν ὁ ἥλιος τοὺς Κιμμερίους, οὐ φαέθων δέ· ἀντὶ τοῦ οὐ πάνυ λάμπων οὔτε τὴν δύσιν οὔτε τὴν ἀνατολὴν διὰ τὸ δυτικοῖς καὶ ἀνατολικοῖς ὄρεσι περιέχεσθαι* (schol. ad λ 16), utpote quam Voss probaverit, omittere non licet; atque cum illo scholiorum loco certe meridiano tempore solem a Cimmeriis conspici concedatur Voss (l. l. p. 308) simpliciter dicit: Da Homers Kimmerier über der Erde wohnen, so müssen es umzingelnde Berge sein, die ihnen das Licht der Sonne entziehen, — ergo montium vertices in medium propendentes quasi tecto quodam formato efficiunt, ut ne meridie quidem miserrimi illi homines solem conspicentur. Hanc autem alucinationem profero, non quod refutatione dignam arbitrer — neque enim montibus sed nebula nubibusque obteguntur Cimmerii —, sed ut ostendam, ad quantas ineptias ipsa acria et sobria ingenia trahantur, cum ea, quae Homerus poetica licentia usus commentus est, sicca et ieiuna interpretandi ratione enodare moliuntur. Densa igitur caligine tegi Cimmerios nomen ipsum significat; quod quamquam varie traditur [1]), tamen eandem fere singulae formae sententiam

1) *Κιμμερίων, Χειμερίων, Κερβερίων* (Crates) schol. codd. P. V. ad λ 14. — *Κεμμερίων* Etym. Magn. p. 513, 50.

exhibent praeter *Κερβερίων*. Sed hanc vocem ex Aristophanis ioco (ran. 187) ortam esse A. Ludwich [1]) memorat, qui idem iudiciis trium doctorum [2]) adhibitis *Κερβερίων* Aristarcho placuisse recte negat. Iam longarum septemtrionis noctium Homerum notitiam habuisse ex hoc loco plerique colligunt; velut apud Eustathium (1671, 44) *ὁ γεωγράφος*, qui ita disputat: *ἔχουσι μὲν γὰρ ἥλιον εἰ καὶ μὴ οἱ τοῦ μύθου, ἀλλὰ γοῦν οἱ τῆς ἱστορίας Κιμμέριοι, ὑφ' ἥλιον ὄντες ὅτι καὶ ὑπὲρ γῆς.* Eius vestigiis institit Crusius: Diese Worte deuten auf Gegenden des äussersten Nordens, und der Dichter scheint wohl einige Kunde von Ländern gehabt zu haben, wo es im Winter fast beständig Nacht ist, — alii multi. Ergo poetam, quod de regione septemtrionali audivisset, non de septemtrionali, sed de occidentali gente atque cum aquilonem nominaret narravisse credemus? Quid multa? hanc noctem, ut novum aliquid atque inauditum carmini suo insereret, mente excogitavit Homerus; quam noctem ipsis orco tenebroso propinquis partibus affictam esse minime mirum. An Cimmeriorum sempiternam noctem ex ingenio poetae procreatam esse minus recte censebimus quam sempiternum diem Laestrygonum? Quidquid igitur de exploratis Cimmeriorum sedibus scriptum est, praetermitto. Qualis autem inter Homeri et veros Cimmerios ratio intercedere mihi videatur, supra disserui; ut cum aliorum permulta tum hoc Wilamowitzii (p. 165): Die Kimmerier sind ein skythisches Volk, dessen reale Wohnsitze genau da liegen, wo der Zusammenhang der Dichtung sie ansetzt impugnare supersedeam. Restat, ut perpauca de eorum sententiis dicam,

---

1) A. Ludwich: Aristarchs homerische Textkritik nach den Fragm. des Didymos dargestellt und beurteilt. Leipz. 1884 p. 585 sq.

2) Nitzsch Anm. z. Od. III p. 192; Sengebusch Jahrb. 1853 p. 413 sq.; E. Rohde rhein. Mus. XXXVI 1881 p. 562.

qui hanc narrationem non in principali necyiae forma fuisse arbitrentur.

Kirchhoff enim ab eo, quem Bearbeiter appellat, vv. κ 481 — λ 24 eo consilio compositos esse affirmat, ut necyiae, quam carminis contextu includere cogitaret, exordium efficeret. At Cimmerios quidem poeta ipse ad ea quae sequerentur apte incohanda finxisse potuit; an illi versus adeo inconditi sunt, ut ab antiquioris poetae arte abhorrere videantur? Equidem Cimmeriorum tenebras iis verbis quae magno poeta digna sint describi putaverim. Quod denique Duentzer contendit λ 14—19 sind eine spätere ungehörige Ausschmückung, haud scio an gentem aeterna nocte offusam prope orcum nequaquam inepte positam esse tenendum sit.

Inferorum autem sedem utrum super an subter terra posuerit poeta, non convenit inter doctos. Nam etsi subter terra fuisse orcum nonnullis locis (velut λ 37, 301, 302, 475, 549; μ 383; — ω 204 ὑπὸ κεύθεσι γαίης huc referre non licet —) indicatur, tamen Ulixes, quem quidem in ipso orco versatum esse legimus, descendisse ad inferos nunquam narratur. Et ne illud quidem consentiunt, qua orbis parte orcus collocandus sit; orientem opinatur Gladstone [1]), Baer regionem quae est inter septemtrionem et orientem, septemtrionem Wilamowitz (p. 165). Kirchhoff autem orcum cum ab eo, quem vocat Bearbeiter, ad arbitrium oceano appositum esse censeat ubi primae necyiae poeta locaverit omnino non posse extricari putat. Minime vero ea nobis probantur, quae Jordan [2]) de hac re disputavit; neque enim Homerum

1) W. E. Gladstone: Homer und sein Zeitalter, deutsch v. Bendan, Jena 1877 p. 251.

2) W. Jordan: Der Hadeseingang nach der Odyssee. Jahrb. 1872 p. 1—9.

latis itineribus multa maria emensum neque globosam terrae formam suspicatum esse credimus; denique Ulixem quod navi ad orcum penetrarit quasi Columbum quendam poesis epicae exstitisse ineptissima est opinio. Ceterum hanc quaestionem, quoniam de necyiae intra Odysseae contextum ratione nihildum certi exploratum est [1]), ad exitum perducere non possumus. Hoc commemoro et quae antecedunt et quae sequuntur, iis extremum significari occidentem.

Ulixem ab orco cum suis reversum Circe postquam iterum benigne excepit et quae itinera emitienda, quae pericula subeunda forent, edocuit, postero die cum secundo vento dimittit. Quis autem ventus intellegendus est hic secundus? Num Circae insulae situm tam bene cognovimus, ut quem cursum tenentes illinc domum Ithacenses perventuri fuerint non sit incertum? Atque ii quidem, qui Aeaeam inter septemtriones et occasum solis ab Sicilia ponunt, caurum significari cum Voelckero (§ 62) credunt; verumtamen qui de iis regionibus, quo Ulixes priusquam ad Circen veniret delatus est et de Aeaea ipsa recte iudicaverint, nullum alium nisi zephyrum fuisse concedent. Quamquam zephyri nomen poetae, ut qui locorum vestigia ostendere nolit, reticere licet.

Iam praetervehenda est fabulosarum insula Sirenum, quae cantu suo homines decipiunt deceptosque crudeliter dilaniant; et haec quoque poetae verba criticorum dentibus arrosa esse mirum est. Duentzer [2]) enim memorat: Sollten

1) Muellenhoff l. l. p. 50: Ich lasse es also dahingestellt, ob die Nekyia ein ursprünglicher Bestandteil des Nostos war und nicht vielmehr eine alte Erweiterung desselben, oder als besonderes Lied daneben bestand.

2) Homers Odyssee, erklärende Schulausgabe von Heinr. Duentzer. II. Aufl. II. Heft. Paderborn 1863.

nicht 44—46 späterer Zusatz sein? So viele Männer kamen doch nicht zu ihrer Insel. Quid? nonne hoc idem est ac si quis venustissimis coloribus e tabula deletis pictoris artem correxisse sibi videatur?

Praetervectis autem Sirenum insulam duae patent viae, una prope Planctas, altera per fretum, quod est inter Scyllam et Charybdim. Planctas ut nimis periculosas atque adeo perniciosas Circae consilium secutus vitat Ulixes; quarum cum nomen ipsum non nisi in deorum sermone exstare dicatur, tamen ubi ponendae essent exquirere et veteres et recentiores inutilem operam impenderunt. At verissimum de Planctis iudicium apud Eustathium (1711, 54) legimus, quod quoniam non minus breve quam bonum est afferam: *Θεοὶ δὲ αὐτὰς οὕτω καλοῦσιν, ὡς ἀνθρώπων μήτε εἰδότων τὰς πλαστὰς ταύτας Πλαγκτὰς διὰ τὸ μυθικῶς ἐκτετοπισμένον, μήτε καλούντων.* (conf. schol. cod. V. *θεοὶ καλέουσιν. ἄνθρωποι δὲ οὐδέν. κἀκ τούτου δῆλον ὅτι πέπλακεν).* Illud quoque observemus oportet, a compluribus Planctarum cum Symplegadibus similitudinem quandam detectam esse; quin etiam dissimilitudinem omnino negat Kirchhoff his verbis: Endlich sind die Plankten oder Irrfelsen, an denen Odysseus vorbeifährt, offenbar identisch mit den Symplegaden oder kyanischen Felsen, welche den Argofahrern so viel Not gemacht haben. Heimreich [1]) autem cum haec profert: auch erinnern bei aller Abweichung im einzelnen die Plankten so sehr an die Symplegaden, dass auch hier die Benutzung eines Motivs der Argonautensage sehr wahrscheinlich ist, summam cuiusque rei non nisi singulis partibus spectatis

1) Ch. Heimreich: Die Telemachie und der jüngere Nostos. Ein Beitrag zur Kritik der Komposition der Odyssee von A. Kirchhoff. G. Progr. Flensburg 1871 p. 19.

recte iudicari posse non respicit. Contra Nitzsch, Duentzer[1]), G. Schmidt (l. l. p. 54—59) alii similitudinem gravibus argumentis reiciunt. Etenim Symplegades sunt rupes, quae magna vi inter se colliduntur, Planctae saxosum litus cum montibus flammas eructantibus. At hoc insigne est, quod et in Argoa fabula et in Odyssea columbae commemorantur; et cum μ 70 Argo navis ipsa nominetur, quin hoc loco nonnulla ex Argonauticis sumpta sint dubium non est.

Planctarum igitur pericula veritus Ulixes alteram viam ingreditur et brevissimo tempore (*αὐτίκ' ἔπειτα* μ 201) ad Scyllam fertur. Atque hanc et Charybdim in freto Siculo, illam ad Italiae, hanc ad Siciliae litus a plerisque quaesitas esse satis constat; sed Italiam Siciliamque Homero etiam mediocriter notas fuisse, quamquam multi contenderunt, argumentis firmare nemini adhuc contigit. Quare bene Nitzsch (l. l. p. 383): Im Ganzen sehen wir als Resultat, dass die Beziehung der Skylla und Charybdis auf die sizilische Meerenge eitel ist und nur auf der Sucht zu finden beruht. Reperiuntur tamen hodie quoque, iique multi, qui certas regiones quaerant; quorum levissime Buchholz (l. l. p. 271) disputat, qui nominibus Scyllaeum et Skilla documentis utitur, cum Scyllam in occidentali parte infimae Italiae fuisse defendit. Apud Ebelingium autem quae de Scylla iis quae de Charybdi dicuntur repugnant; Scyllam enim is, qui hanc rem in illo lexico tractandam sibi sumpsit, in freto Siciliensi fuisse suspicatur; verum eundem Charybdim ibi non ponere ex his cognoscitur: „Eam fuisse in freto Siciliensi veteres contenderunt, recentiores negaverunt. Ex eo, quod illo loco aestus sexta

1) H. Duentzer: Die homerischen Nosten und ihr Verhältnis zur Odyssee. Jahrb. 1871 p. 804. — Die homerischen Fragen p. 116.

quaque hora mutatur, veterum opinio orta esse videtur.“ Attamen Scyllam ab Charybdi non multum distare poeta tradit μ 102 πλησίον ἀλλήλων· καί κεν διοϊστεύσειας. Ac de Scylla ipse Nissen [1]) fateri cogitur: An dem Felsen der Skylla vermag der begeistertste Bewunderer des Dichters nichts Schreckhaftes zu entdecken, quamquam continuo has profert suspiciones: Ob hier in alten Tagen eine Seeburg errichtet war, die Kauffahrer zu plündern, oder auf welch' andere Thatsachen das phantastische Gebilde zurückgeht, wer möchte das erraten? — quasi vero fictae cogitatione imagines ad res certas referri possint! Contradictio haec quidem in adiecto! Confidentius autem Charybdim in Siciliae ora qua ad orientem vergit collocat; at multo propius ad Homeri descriptionem accedunt ea, quae Krichenbauer et Jarz apud Teneriffam insulam invenerunt; et tamen vix aliquis philologorum hac similitudine adductus Charybdim Africae occidentali litori propinquam fuisse credet.

Falsa autem multorum de Scylla et Charybdi opinio ex alia opinione non minus falsa manavit. Thrinaciam enim et Siciliam eandem insulam fuisse arbitrantur — nomine videlicet, quod cum Trinacria confunderent, in errorem inducti. Tametsi Θρινακίη derivandum esse a θρῖναξ (tridens) iamdudum cognitum est [2]); ut sententia Gladstonii [3]), qui

---

1) l. l. p. 105 ss. — Saepius huius viri iudicia idcirco affero, quod ceteroquin doctissime de Italiae regionibus disseruit. At Homerum non eadem prudentia tractavit; velut oceanum mare apertum, non amnem intellegit.

2) J. H. Voss l. l. p. 291: in der älteren Sprache des Landmanns hiess θρῖναξ ein Dreizack. — cf. Duentzer: die homerischen Fragen p. 116 sq.

3) W. E. Gladstones homerische Studien, frei bearbeitet von Dr. A. Schuster, Leipz. 1863; § 17. — Quod A. Schuster in transferendo Gladstonii libro „Studies on Homer“ illud quod inscribitur „Thalassa“

cum Siciliae poetam ignarum fuisse contendat, tamen illud nomen ad hanc insulam pertinere suspicatur, non sit laudanda. Falso et ipse Nitzsch (l. l. p. 385): Der Name Thrinakia, die Dreizackige, Dreispitzige (*θρῖναξ*) erinnert freilich an Trinakria, d. h. Sizilien mit seinen drei Vorgebirgen, — quasi aliqua sit tridenti cum triangulo similitudo. Eos vero, qui nomine *Θρινακίη* Siciliam significari hodie quoque putant, pluribus impugnare non est operae pretium. Desertam enim insulam (*μ* 351 *νῆσος ἐρήμη*), ubi praeter boum oviumque greges et duas nymphas nulla animantia reperirentur, Thrinaciam, si hac voce Sicilia significaretur, sane non appellaret. Hoc unum est; alterum illud, quod — si quidem *Θρινακίη* ad *Τρινακρία* recte referretur — Homeri aetate Graeci in arte navali haud dubie nondum tantos progressus fecerant, ut Siciliae triquetram figuram cognoscere possent. Quare Voelcker aliique, qui Thrinaciam non esse Siciliam intellexissent, alia ratione inita exiguam inter Planctarum et Scyllae-Charybdis freta insulam fuisse statuerunt. Et cum in freto Siciliensi nulla insula posita sit, poetae animo non veram regionem obversatam esse Voelcker concedit; verum et ipse de Thrinaciae situ falso iudicat. Namque Homerum Siciliae notitiam habuisse arbitratur, sed propter eius insulae magnitudinem quasi continentis terrae (l. l. § 58); Italiae quoque meridiana litora non plane eum ignorasse ratus Temesam et Alybam et Scyllae scopulum ibi collocat. Atque inter oras harum regionum, quarum aliquam notitiam Homero assignat, Thrinaciam ita sitam esse dicit, ut ab ea ad meridiem Planctarum, ad septemtrionem Scyllae-Charybdis fretum fuerit. Ac primum quidem si nautae fretum inter Scyllam

caput omisit dolendum est; nam huius doctrina tam excellentis viri etsi falsa de Ulixis erroribus iudicia cognoscere plurimum nostra interest.

et Charybdim percurrentes iam partem Thrinaciae quamquam procul praetervecti sunt, admodum mirum est, cur, postquam ea portenta effugerunt, ad illam insulam pervenire narrentur; utique si quis usquam advenire dicitur, huic iter facienti eum locum ante oculos, non ad latus fuisse statuemus. Accedit quod Circe non nisi alterutram viam ingressum Ulixem in patriam venturum esse praenuntiat; Scyllam autem sex, Charybdim omnes socios rapturam esse adfirmat (μ 110). Atqui si eam tabulam, ubi Homericum, ut ita dicam, terrarum orbem Voelcker delineavit, oculis collustrabimus, Ulixi duo alia itinera patuisse reperiemus, alterum Africam inter et Siciliam (eam scilicet magnam insulam, quam Cyclopes et Laestrygones incolunt), alterum per apertum aequor, quod ab Italia in septemtrionem versus extenditur. Et cum duae viae etsi longiores multo tamen tutiores patescerent, Circen, quae ut Ulixes eiusque socii incolumes domum reverterentur cupiebat, periculosissimi itineris auctorem fuisse arbitrabimur? At Circae Ulixis salutem illi quidem cordi fuisse, sed poetam suo Ulixi pericula quaesivisse respondebunt Voelckeri sectatores. Habeo, quod volui. Etenim periculis enarrandis Homerum maiorem operam dedisse quam locis, ubi pericula subisset Ulixes, significandis ii ipsi, qui regionum vestigia diligentissime inquirunt, non possunt non concedere. Wilamowitz autem cum Peloponnesum fuisse Thrinaciam obtinet (l. l. p. 168) illud νῆσος ἐρήμη ad Peloponnesum referri non posse parum reputavit. Illuc redeo, poetam, si locorum situs illustrare voluisset, non obscuris usum ambagibus quasi arenam quandam coniectandi interpretibus fuisse patefacturum. Ad summam: Thrinaciam neque Siciliam neque insulam in Siciliensi freto positam sed fictam et commenticiam regionem esse apparet. Restat, ut eorum, qui Ulixem in Ponto euxino et circa

Imbrum insulam (quam Thrinaciam esse Baer contendit) erravisse statuunt, opinionis redarguendae causa Thrinaciam ab Ithaca ad occidentem sitam fuisse argumentis confirmemus. Atque imprimis quae μ 325 leguntur observanda sunt. Per mensem enim integrum continenter flant notus et eurus

οὐδέ τις ἄλλος
γίγνετ' ἔπειτ' ἀνέμων —

magno cum Ithacensium dolore. Atqui iis, qui per orientem errantes ad occidentem venire tendunt, eurum nequaquam iniquum esse manifestum est; ergo Ulixem cum suis in occidente iactatum esse tenebimus. Neque huic sententiae ea, quae supra et infra illum versum de zephyro dicuntur, quamquam repugnare videntur, re vera repugnant. Nam quod Eurylochus (μ 289) omnes in ultimum discrimen venturos esse, dicit, si repente notus aut zephyrus oriatur, his verbis neque sententia nostra quam antea exposuimus, cum zephyro utpote vento ferente ab Circae insula Ulixem profectum esse, subvertitur — etenim iam prope Sirenas malacia facta est (μ 168) — neque tractum (liceat hoc vocabulo brevitatis causa uti) zephyri Eurylocho displicuisse declaratur. Et hoc quidem maxime planum fit, cum haec adduntur: *οἵτε μάλιστα νῆα διαρραίουσι.* Non tractum igitur sed violentum impetum horum ventorum, quorum vehementia naves disiciuntur, metuit Eurylochus. Iam ad vv. μ 408 sq. animum advertamus. Ab Solis insula in altum provectis zephyrus cum clangore et ingenti turbine supervenit, membra navis dissolvuntur procella, gubernator mali pondere ictus capite contuso in profundum praecipitatur, omnes devorantur undis praeter Ulixem, qui malo et carina aegre colligatis fracti navigii reliquiis insidens exitiosis ventis iactatur. Quid? ideo zephyrum nautis invisum fuisse, quod

metuebant, ne motu eius in diversam regionem abigerentur? Immo terribilem huius venti violentiam nefariis illis hominibus, qui bobus deo sacris manus afferre impie ausi erant, causam perniciei esse poeta voluit. Ipsum autem zephyrum ex ventorum numero elegit, quia eius rabiem prae ceteris vehementem esse noverat. Ceterum eundem aliis locis lenem salubremque describit (δ 567, η 119. — cf. κ 25); hic igitur Zephyrus Ithacensibus acceptus esse debuit; horrebant illum tristem ac turbulentum.

Dum autem Ulixes solus per mare fertur, zephyrus vertit in notum, qui et ipse magnum terrorem illi inicit. Ulixes enim, cui quidem zephyrus dummodo minus vehementer saevivisset haud ingratus fuisset, vento mutato ob hoc ipsum sollicitatur, quod, ut Breusing [1]) recte monet, periculum ei esse videtur, ne amplius ad orientem vertat, eurus scilicet oriatur. Quae explanatio confirmatur maxime eo, quod noti eurique tractus, rabies zephyri metuitur. Et profecto zephyrus et eurus ut venti inter se contrarii non ambo propter tractum timeri potuerunt. Ii autem, qui cauro flante Ulixem Thrinaciam reliquisse et vulturno ad Charybdim repulsum esse credunt, nimis subtili ac paene mathematica ratione utuntur. At Homerus si non modo excelsissimus omnium poetarum, sed etiam simplicissimus et candidissimus fuit, aenigmata quaedam solvenda nobis proponere et sudorem nostrum ludibrio habere perperam iudicatur; quod quidem fecisset, si cauro flante Ithacenses Thrinaciam reliquisse nos magno circuitu et rem quasi retroagentes enodare voluisset.

Iam audacissimo saltu ab Charybdis faucibus retractus Ulixes novem dies per mare agitatur, decimo Ogygiam

1) A. Breusing: „Nautisches zu Homeros". Neue Jahrb. 1886 p. 91.

defurtur. Atque hoc temporis spatium non ad verbum accipiendum esse supra de Lotophagis disserens commemoravi. Accidit quod iisdem verbis poeta saepius utitur; decimo die Ithacenses ab Cytheris ad Lotophagos, decimo ab Aeoli insula prope ad Ithacam feruntur, decimo Ulixes ab Charybdi venit Ogygiam. Quare ad exquirenda regionum vestigia temporum non plus quam ventorum commemorationi tribuemus.

Ogygiam autem a sedibus mortalium longe longeque remotam in mari fuisse clarissime a poeta compluribus locis significatur; ac Mercurius, qui mirabili velocitate volare consuesset, ab Olympo ad Calypsus insulam missus immensum iter queritur (ε 100 sq.); quare hanc quoque insulam in certa maris regione quemquam posuisse vix credas. Et tamen factum est. Ac veteres *Γαῦλον* (vel *Γαῦδον*) insulam cui nunc Gozzo nomen est Calypsus sedem putavisse constat; quam opinionem falsam esse recentiores intellexerunt, tametsi non omnes [1]). Voss autem (l. l. p. 311) in magno inter Libyam et Atlantem sinu Ogygiam ponit, aliis locis alii. Iam Calypsus insulam in longinquis quae inter septemtrionem et occidentem extenderentur regionibus quaerendam esse primus Voelcker docuit (§ 63); neque accuratius quidquam de Ogygiae situ statuere possumus. Certam enim insulam Homerus omnino non indicavit. Rectissimum vero apud Ebelingium (s. v. Ὠγυγίη) exstat iudicium, cuius summa haec est: „— sequitur erravisse et eos qui insulam veram esse opinarentur, et qui tabulam geographicam qualem ille sibi fingeret, quatenus ad has regiones pertinet, delineare studerent“.

1) Homers Odyssee, erklärt von V. H. Koch, Hannover 1873 76 (α—μ).

Iam ad Ulixis errores redire placet. Septem annos Ogygiae moratus ratem, quam dea iuvante perfecit, conscendit et vento secundo levatus rursus in mare provehitur. Atque per duodeviginti dies noctesque continenter gubernaculo assidet nec somno oculi eius operiuntur; mirum hoc quidem et incredibile, sed poeticae licentiae videlicet tribuendum! Quo autem vento adiutum Ulixem Ogygia profectum esse censebimus? Cum hic quoque venti nomen poeta reticeat, num alia ratione iter indicetur inquirere opus est. Et significat cursum poeta, cum naviganti ursam ad sinistram fuisse narrat; ergo ab occidente orientem versus illum tetendisse ab Homero declaratur, ut Ogygiam et ipsam in occidentis partibus fuisse appareat. Ab occasu solstitiali Ulixem Scheriam venisse Voelcker et Nitzsch arbitrantur; at illius, qui austro Ulixem Ogygiam delatum esse ideoque cum cauro hanc insulam reliquisse statuit, falsam mihi videri sententiam supra disserui; huius, qui Pleiades a fronte naviganti fuisse putat, perversam esse interpretationem ob hoc ipsum iudico, quia illud *ἐσορῶντι* (ε 272) non modo ad Pleiades verum etiam ad ursam pertinet. Atque hoc loco Cratetis quandam Mallotae coniecturam, utpote qua huius viri Homerum interpretandi mala ratio maxime illustretur, non omittam. Qui ut poetae quam gravissimum doctrinae onus iniungeret omni ope enixus in vocabulo *οἴη* (ε 275) offendebat; etenim cum verba *ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο* non modo de ursa sed de omnibus orbis septemtrionalis sideribus dici debere Cratetis aetate constaret, iam Homerum hoc scivisse ratus *οἴη* mutavit in *οἶος*, ut non *ἄρκτος* sed *ἀρκτικὸς κύκλος* intellegeretur. Hoc quidem est depravare, non interpretari poetam.

Ingenti labore et miseria defatigatus in Scheriae litus eicitur, ubi somno refectum postridie Phaeaces hospi-

taliter excipiunt. Atque primum insignem et dis gratissimam describi gentem Phaeacum respiciendum est. Maxime autem ars navalis apud eos floret, ut navigia illorum tamquam pinnae vel cogitationes (η 36) per maria ferantur. Quae vero Alcinous de ceteris navium suarum egregiis virtutibus Ulixi narrat, adeo mira et fabulosa sunt, ut Homero certum populum obversatum esse minime credendum sit; et cum Phaeaces longissime a ceteris hominibus remoti in mari fluctuante habitare dicantur (ζ 204 sq.), Corcyram significari non adducor ipsa multorum hominum doctorum auctoritate. Pluribus autem de hac re disserere ideo supervacaneum esse puto, quod apud eundem Ebelingium s. vv. *Σχερίη* et *Φαίηκες* egregie iudicatur. Itaque Phaeaces non modo ex parte [1]) sed omnino fabulosos esse existimaverim. Ceterum hic quoque de ventis pauca memorabo. Ulixem enim cum aquilone Scheriam reliquisse idcirco arbitratur Voelcker, quod cum eodem illuc advenerit; sed eundem ingenti tempestate repente exorta, cum omnibus simul ventis premeretur, longe ab instituto cursu depulsum esse (ε 294 sq.; 327 sq.) non debuit praeterire. In alium insuper errorem Voelcker incidit (§ 64). Namque Phaeaces flante aquilone Ithacam proficisci in animis habuisse opinatur; cuius opinionis causam hanc affert, quod simulatque Ulixem domum referre constituerint, vela pandant. At hoc facere iam ϑ 54 narrantur, cum quidem Ithacam esse hospitis sui patriam non prius quam ι 19 sq comperiant! Quod vero prope Corcyram magna rupes exstat, quam Homerum cum Phaeacum navem ab Ithaca redeuntem in saxum a Neptuno versam esse narraret (ν 163) ante oculos habuisse quidam opinantur, huic rei, quandoquidem cetera omnia fabulosa

1) Carl Friedr. von Naegelbachs homerische Theologie. III. Aufl., bearbeitet von Gg. Autenrieth, Nürnb. 1884. p. 265, n. 188.

sunt, non plus tribuendum esse videtur quam saxis apud Siciliam repertis, quibus Polyphemus Ulixem prosecutus esse dicitur; illo miraculo poeta ostendere voluit, Phaeaces ira Neptuni deterritos esse, ne amplius homines in patriam deducerent.

De Ithaca autem ipsa, cum de erroribus, non de patria Ulixis disputare mihi proposuerim, non multa proferam. Haec non tacuerim. Poetae descriptionem non congruere cum vera Ithaca Voelcker (§ 28—34) gravibus firmavit argumentis; Ithacam cum omnibus temporibus tum Homeri aetate nil nisi nomen fuisse Hercher[1]) demonstravit.

Reliquum est, ut summam disputationis meae cum Eratosthenis iudiciis componam.

Ac maximum gravissimumque hoc est, quod Eratosthenis sententiam *ποιητὴς γὰρ πᾶς στοχάζεται ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας* (Strab. C 6; 15) quasi ducem secutus sum. Hac igitur sententia observata doctissimus ille vir contendit Homerum certa vestigia longinquarum regionum indicare nec potuisse, quippe cum eius aetate ars navalis quasi in incunabulis esset, nec debuisse aut voluisse, cum poetarum ritu non institutionem sed delectationem hominum peteret. Verum non omnes regiones animo effinxisse censet, sed locorum cognitionis finem ita terminat, ut Graeciam dicat ei notam fuisse, ceterorum, quae longius abessent, notitiam habuisse neget: *τὰ μὲν Ἑλληνικὰ εἰδέναι, τῶν δὲ πόρρω πολλὴν ἔχειν ἀπειρίαν, ἀπείρους μὲν μακρῶν ὁδῶν ὄντας, ἀπείρους δὲ τοῦ ναυτίλλεσθαι* (Strab. C 298 sq.). Itaque non modo Ponti euxini utpote illis temporibus nondum navigati poetam ignarum fuisse statuit, sed etiam Aegypti, Libyae,

1) Rud. Hercher: Homer und das Ithaka der Wirklichkeit, Hermes I (1866) p. 28—280.

Arabiae, Aethiopiae, oceani. Nec tamen quidquam offensionis hoc habere; nam etiam posteriores multa nescire et mira narrare, cuius rei complura exempla affert. Eos autem, qui circa Siciliam et Italiam Ulixem erravisse credunt — et credebant fere omnes antiqui —, ab Eratosthene reprehensos esse apud Strabonem (C, 299) invenimus, qui Apollodorum, sectatorem Eratosthenis, ita iudicare refert: *ἐπιτιμᾷ δὲ καὶ τοῖς περὶ Σικελίαν τὴν πλάνην λέγουσι καθ' Ὅμηρον τὴν Ὀδυσσέως.* Et exinde: *καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις συγγνώμην εἶναι, Καλλιμάχῳ δὲ μὴ πάνυ, μεταποιουμένῳ γε γραμματικῆς, ὃς τὴν μὲν Γαῦδον Καλυψοῦς νῆσόν φησι, τὴν δὲ Κόρκυραν Σχερίαν.*

Ac de Sirenibus hoc Eratosthenis iudicium apud Strabonem invenimus (C, 22): *τοὺς δὲ μὴ πεπλάσθαι λέγοντας, ἀλλ' ὑποκεῖσθαι, ἐξ αὐτοῦ τοῦ μὴ συμφωνεῖν ἐλέγχεσθαι ψευδομένους· τὰς γοῦν Σειρῆνας τοὺς μὲν ἐπὶ τῆς Πελωριάδος καθιδρύειν, τοὺς δὲ ἐπὶ τῶν Σειρηνουσσῶν πλείους ἢ δισχιλίους διεχουσῶν σταδίους. εἶναι δὲ αὐτὰς σκόπελον τρικόρυφον διείργοντα τὸν Κυμαῖον καὶ Ποσειδωνιάτην κόλπον*[1]. Ceterum Ulixis errores in occidentis partibus ab Homero positos esse Eratosthenes non dubitat concedere; sed locorum vestigia poetam de industria propter hoc ipsum obscurasse adseverat, quod in regionibus ignotis imagines cogitatione fictas liberius expandere posset. Quod clarissime expositum est apud Strabonem his locis: C, 26 *καὶ αὐτὸς δὲ ὑπονοήσας τοῦτο ὁ Ἐρατοσθένης, ὑπολάβοι τις ἄν, φησί, τὸν ποιητὴν βούλεσθαι μὲν ἐν τοῖς προσεσπερίοις τόποις τὴν πλάνην τῷ Ὀδυσσεῖ ποιεῖν, ἀποστῆναι δ' ἀπὸ τῶν ὑποκειμένων, τὰ μὲν οὐκ ἀκριβῶς πεπυσμένον, τὰ δὲ οὐδὲ προελόμενον οὕτως, ἀλλ' ἐπὶ τὸ δεινότερον καὶ τὸ τερατωδέσ-*

1) cf. Berger l. l. p. 35 et p. 360.

τερον ἕκαστα ἐξάγειν. τοῦτο μὲν αὐτὸ εὖ, τὸ δ' οὗ χάριν τοῦτ' ἐποίει κακῶς δεξάμενος· οὐ γὰρ φλυαρίας, ἀλλ' ὠφελείας χάριν. ὥστε δίκαιός ἐστιν ὑπέχειν λόγον καὶ περὶ τούτου καὶ διότι φησὶ τὰ πόρρω τερατολογεῖσθαι μᾶλλον διὰ τὸ εὐκατάψευστον. — C, 25 τὸ δὲ πάντα πλάττειν οὐ πιθανὸν οὐδ' Ὁμηρικόν. τὴν γὰρ ἐκείνου ποίησιν φιλοσόφημα πάντας νομίζειν, οὐχ ὡς Ἐρατοσθένης φησί, κελεύων μὴ κρίνειν πρὸς τὴν διάνοιαν τὰ ποιήματα, μηδ' ἱστορίαν ἀπ' αὐτῶν ζητεῖν. — C, 23 Ὅμηρον δὲ μήτε εἰδέναι ταῦτα μήτε βούλεσθαι ἐν γνωρίμοις τόποις ποιεῖν τὴν πλάνην. — C, 16 τοῦτο μὲν δὴ ὀρθῶς ἂν λέγοις, ὦ Ἐρατόσθενες· ἐκεῖνο δ' οὐκ ὀρθῶς, ἀφαιρούμενος αὐτὸν τὴν τοσαύτην πολυμάθειαν καὶ τὴν ποιητικὴν γραώδη μυθολογίαν ἀποφαίνων, ᾗ δέδοται πλάττειν, φησίν, ὃ ἂν αὐτῇ φαίνηται ψυχαγωγίας οἰκεῖον. — C, 6 οὐδὲ γὰρ ἀληθές ἐστιν, ὅ φησιν Ἐρατοσθένης, ὅτι ποιητὴς πᾶς στοχάζεται ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας. — C, 15 ποιητὴν γὰρ ἔφη πάντα στοχάζεσθαι ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας.

Itaque non mirum est, si eos, qui ex contraria parte multam variamque doctrinam poetae assignabant, his verbis vituperat: Strab. C. 18 — περὶ τὴν Ὀδυσσέως πλάνην, περὶ ἧς πολλὰ διαμαρτάνει τούς τ' ἐξηγητὰς φλυάρους ἀποφαίνων καὶ αὐτὸν τὸν ποιητήν· — C, 157 — ἀλλὰ καὶ τοὺς ἁψαμένους τῆς τοιαύτης πραγματείας μαινομένους ὑπέλαβον.

Haec sunt Eratosthenis de Ulixis erroribus iudicia. Sane antiquis temporibus, cum omnes fere veteres *διδασκαλίαν*, non *ψυχαγωγίαν* poetas sequi arbitrarentur, admodum paucis probata sunt; sed praeter Apollodorum aliosque illius rationem laudabat et sectabatur Aristarchus [1]), omnium, qui Homeri carmina unquam attigerunt, facile princeps; cuius

1) Lehrs l. l. p. 247 s.

unius laude illa iudicia sine dubio magis confirmantur, quam sescentorum Strabonum improbatione labefactari possunt. Maior autem et assensione et reprehensione hominum is est, qui vera se tueri sentit; et hoc quidem sentiebat Eratosthenes.

Ad extremum ingeniosissimi huius viri lepide et facete dictum afferam, quod exstat apud Strabonem C, 24 (cf. Eust. 1645, 62): *διότι φησὶ τότ' ἂν εὑρεῖν τινα ποῦ Ὀδυσσεὺς πεπλάνηται, ὅταν εὕρῃ τὸν σκυθέα τὸν συρράψαντα τὸν τῶν ἀνέμων ἀσκόν.*



